opportunitas suae, et liberorum aetatis, quae etiam mediocres viros spe
praedae transversos agit. Ad hoc studia Numidarum in Jugurtham accensa;
ex quibus si talem virum dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur,
anxius erat. His difficultatibus circumventus, ubi videt neque per vim, neque
insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus, statuit eum objectare
periculis, et eo modo fortunam tentare. Igitur bello Numantino Mi-
cipsa cum populo Rom. equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans
vel ostentando virtutem, vel hostium saevitia facile eum occasurum: praefecit
Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus
erat evenit. Nam Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi
naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium
cognovit: multo labore, multaque cura, praeterea modestissime parendo: et saepe
obviam eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut Roma-
nis vehementer charus, Numantinis maximo terrori esset. Ac sane, quod
difficillimum inprimis est, et bello strenuus erat, et bonus consilio: quorum
alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem ple-
rumque afferre solet. Igitur imperator omnes fere res asperas per Jugurtham
agere, in amicis habere, magis magisque eum indies amplecti: quippe
cujus neque consilium, neque inceptum ullum frustra erat. Sed quum
Numantia deleta P. Scipio dimittere auxilia et ipse domum
reverti jam decrevisset, donatum atque laudatum magnifice pro con-
cione Jugurtham in praetorium adducebat, ibique secreto admonebat,
ut potius publice quam privatim amicitiam populi Rom. coleret,
neu aliquibus largiri insuesceret. Sic locutus cum literis eum, quas Mi-
cipsae traderet, dimisit. Earum sententia haec erat: Jugurthae tui
bello Numantino longe maxima virtus fuit, quam rem certo scio
tibi gaudio esse. Nobis ob merita sua charus est: ut idem Senatui
populoque Rom. sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra ami-
citia gratulor. En habes virum dignum te atque avo suo Masinissa.
Qui vir non admodum diu in hoc laudabili vitae stadio cucurrit; Ju-
gurtha scilicet paulo post a virtutis tramite in saevitiae viam deflexit.
Post mortem n. Micipsae, a quo adoptatus, et testamento pariter
cum filiis haeres institutus fuerat, Reguli in unum convenere,